

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Krugk Heinrich Dringenberg

Disputatio Metaphysica De Potentia & Actu

Rostochii: Reusnerus, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72946279X>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1637
Georg Krugk
Mariae Tringalburg



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn72946279X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72946279X/phys_0002)

DFG

20

DISPUTATIO METAPHYSICA
De
POTENTIA & ACTU,

Quam

Deo feliciter adjuvante,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi & Experientissimi,

Dn. GEORGII Krug^e / Philosoph. & Med. D.
Fautoris ac Præceptoris sui hono-
randi,

Publicè ventilandam exhibet

HENRICUS DRINGENBERG,
Rostochiensis.

*In Auditorio Majori ad diem 23. Decemb.
horis matut.*

ROSTOCHII,

Excudebat JOHANNES REUSNERUS,

ANNO M. DC. XXXVII.



THESES I.

Nter affectiones Entis, quas dis-
junctas vocamus, quæq; ex ipsâ ejus na-
turâ immediate profluunt, uti P O-
TENTIA & ACTUS primum omnino
locum obtinet, ino ipsis etiam simplici-
bus, nostrâ quidem sententia, ante ponit
tur; ita ejusdem quoq; doctrina putan-
da non immerito talis est, quæ ob insi-
gnem & necessitatem, & usum cuivis, qui quidem Metaphysi-
ce navare operam, & in principiis inde deductis labi non ve-
lit, quam diligentissime sit commendata.

2. Constituimus igitur, annuente Deo, nobilissimam
hanc materiam exercitij gratiâ publico & placido dextre Phi-
losphantium examini subjecere, operam veritati undequaq;
locaturi, & à POTENTIA, secuti Philosoph. lib. 6. Met. facturi
initium.

3. Quia vero, uti habet Cl. Horneius lib. 2. diq Metaph.
memb. i. n. i. affectionum dijunctarum ea est conditio, ut, licet cum Ente
non convertantur, nisi duæ complacentur, ita tamen plerumq; sint com-
paratae, ut una explicatâ, altera per se intelligatur, aut certe operosam
tractationem non requirat, ideo de Potentia prolixius paululum
& uberioris agere necessitas jubet; quo peractio, paucis postmo-
dum de Actu rem expediemus.

4. Sumitur autem Vocabulum Potentie duplieiter; Nunc
enam arctius, nunc latius, quam h. l. debet; Arist. 9. Met. c. 1. l. 2.
¶ 7. Arctius pro eâ tantum, quæ in rebus naturalibus cernitur:
eis namq; in his tûm actus, tûm Potentia maxime propriæ sunt, si com-
munem loquendi usum spectes, ad plura tamen se utrumq; extendit, quam
illa, que secundum motum dicuntur: quæ expressa Aristot. verba

A 2

sunt

sunt i.e. latim vero, si omnibus tribuatur de quibus per similitudinem tantum quandam dici solet; Philosoph. l. c. & s. Mor. t. 17. c. 12. Pratermittenda etiam, inquit, sunt, quacunque aquivoce tantum dicuntur Potentiae: quædem enim similitudine quadam dicuntur, ut Geometrica; utque possibilia ac impossibilia dicimus aliqua et quod sunt, aut non sunt.

5. Scholastici Potentiam tam late dictam Logicam appellant, Sonec. 12. Met. quest. 31. ad 11. Javellus s. Met. quest. 19. Svarez disp. 42. sect. 4. n. 9. Scotus objectivam, 2. sent. dist. 12. quest. 1. Et consistit in sola non repugnantiâ terminorum. Sicuti mundus, antequam creabatur, erat in potentia objectivâ, quia poterat esse objectum potentia Dei creativæ, & per eam produci, aut esse suum accipere. Contra, Homo irrationalis nulli potentiae subjicitur, quia hominem esse, & simul irrationalem esse, contradictorium est, & simpliciter repugnans.

6. Quicquid ergo in Potentia objectivâ est, id, quamvis possibilitatem quandam ad existendum habeat, realem tamen existentiam non habet, implicaret enim hoc contradictionem: Aliquid niimirum esse in potentia, & tamen habere realem existentiam. Illud namque nihil aliud est, quam: *aliquid nondum esse actu, posse tamen esse*; hoc vero: *actu jam esse*, quæ adversa fronte pugnant.

7. Nos, quia prior Potentia acceptio, uti jam dictum, nimis est coarctata, ut solùm rebus Physicis competat, posterior autem nimis dilatata, ut, licet suo modo in rebus, tali in potentia quæ sunt, reale aliquid dici possit, insuper reale actuale in rebus actu existentibus denotet, realiter quoque ab activâ & passivâ Potentiis differat: Nihilominus tamen, nec in rebus objectivâ in potentia latitantibus aliquid reale actuale, nec alias positivum quid insinuet: Ea propter utramque sponte nostrâ misam facimus, & tertiam amplectimur, quâ quidem vox, Potentia, transcendentiale aliquid innuit, sed reale positivum.

8. Dividitur autem in tali significatione in Activam & Passivam.

9. Activam potentiam definit Philosoph. 9. Met. c. 1. quod fit prin-

principium transmutationis in alio, quatenus alio. Passiva, quod
sit principium transmutationis ab alio prout alio.

10. Sed definitio potentiae activae non competit 1. Potentie Dei creative, quæ certe activa est, non tamen principium transmutationis aliud, quatenus aliud, cum mutatio necessariò presupponat subiectum, sive materiam in qua, creatio vero fiat ex nihilo, id est, nullà præexistente materiâ, cuius beneficio quicquam transmutetur. 2. Potentie intellectiva. Agit enim illa actione immanente, & ob id non est principium transmutationis aliud, quatenus aliud; e. g. Potentia intellectiva Petri, quâ Petrus intelligit eruditionem Pauli, principium intellectus, sive actus intelligendi est, illumq; efficit, non tamen in alio & diverso, sed in se ipsa, cum actus hic intelligendi in eadem potentia recipiatur, a quâ producitur.

11. Definitio potentiae passivæ similiter non potest applicari potentia passiva actioni immanentis. Revera illa actiones agentis in se recipit, non tamen est diversum quid ab agente, à quo actio illa promanat. Sicut v. g. potentia intellectiva Petri est receptiva, sive passiva, quatenus in se recipit actum, de quo modo dictum, intelligendi, qui tamen non est ab alio & diverso productus, sed ab ea ipsa potentia intelligendi, à quâ recipitur, cum secundum idem actus intelligendi in Petro dependeat à potentia intellectiva Petri, tanquam causâ efficiente, & vicissim in ea recipiatur tanquam accidens in suo subiecto, sive materiâ.

12. Ut ut igitur Philosophus forte subtiliter liberari posse videatur à posterioribus duabus objectionibus, tamen quia à priore vix poterit, & nihilominus utrobique aliquid tentare periculosum sit, meritò has definitiones derelinquimus, judicantes, earum nomina strictius esse accepta, quam nos h̄c sumimus.

13. Definimus autem cum Mendoza disp. Phys. 2. sect. 2.
quod potentia activa sit, quæ virtute continet effectum, eumq; potest
producere, passiva, quæ aliquid aptum est recipere aliquam formam.

14. Ita dividimus potentiam activam & passivam, & hoc modo utramque genuinâ suâ definiitione explicamus.

15. Verum difficultates se se hic offertint; 1. de sufficien-
tiâ assignatae definitionis, cum numerum augere posse videatur
potentia, quam *resistendi* appellant, quamque nec sub activâ, nec
sub passivâ comprehendendi afferunt: Et 2. quod s̄e p̄issime activam
cum passivâ eandem esse, & coincidere dicitent. De quo-
rum utroq; Authores prolixam communiter dissertationem in-
stituunt; sed cum id instituto nostro hac vice non conveniat,
resque ipsa in se non usq; adeo magni momenti sit, decisione
discursui reservatâ, ad divisionis a nobis propositâ ulteriorem
potius enodationem transimus.

16. Activam itaque potentiam ita intelligimus, ut vel
in *Deo Opt. Max.* illam ponamus, vel in *aliis rebus*: in hisce autem
simul passivas; in illo solam activam. Quia verò infinita est
essentia, infinita quoq; & hæc erit, & nihil aliud, quam ipsa Dei
omnipotentia vocabitur.

17. Ilbi expendendum omnino est objectum omnipotentiæ, seu, quid intelligatur, cum dicitur Deum posse omnia.
Thomas part. 1. quest. 25. art. 3. & de Pot. q. 1. art. 4. C 7. Per
illud intelligi dicit, quicquid possibile est simpliciter & abso-
lute, ut hoc modo rectè Deum dicat omnia posse, eiq; omnia
possibilia esse, nec respectu creatæ naturæ, ut ea tantum possit,
quæ creaturis alias sunt possibilia; nam infinitè plura potest; nec
respectu potentie suæ, nam hac ratione diceretur Deus omni-
potens quod omnia posset quæ posset, fieretq; circulus, & idem
per idem declararetur: Sed propterea, quod posset omnia possibilia
absolute.

18. Possibile autem absolute est, explicante eodem Tho-
mas, quicquid ex se nullam repugnantiam aut contradictionem involvit.
Quod verò contradictionem implicat, & sine repugnantia dici
nequit, id, ut possibile nullo modo est, sed absolute impossi-
ble, ita nec divinæ potentie attribuetur, non quidem propter
defectum omnipotentiæ, sed quia, quod tale est, rationem fa-
tibilis vel possibilis subire nequit; h. e. propter impotentiam
quæ est in ipsis rebus, quod scil. ipsæ res impotentiam, vel fal-
situdinem involvant. Sic Magister in Philosophiâ de potentia
absolutâ potest docere Philosophiam, sed quod asinum eam
docere

docere non possit, propterea non est defectus potentiae in Magistro, sed in asino potius, qui eiusmodi doctrinæ non est capax.

19. Ex quo fundamento respondemus ijs, qui omnipotentiam Dei ideo in dubium vocant, quod non possit mentiri, seipsum abnegare, virginem post ruinam suscitare; quod posterius Svaretz habet ex epist. Hier. ad Eustat. quæ facta sunt infœcta reddere; quod ex Agath. allegat Aristot. 6. Etb. c. 2. Dicimus omnia hæc esse eiusmodi, quæ contradictionem implicent, & consequenter, non quidem à parte Dei, sed à parte impossibilium, quorum naturæ simul stare repugnat, fieri non possint, sicuti ex dictis non potest esse non manifestum.

20. Plinius, quamvis in rebus naturalibus fuerit peritissimus, in primâ tamen Philosophiâ parum, quod credo, versatus est, hinc neq; mirum, quod absurdissimos ipse præ ceteris hac de re errores habuerit: Ita ait lib. 2. biss. nat. c. 17. *imperfecta in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omniam nec sibi mortem poterit consciscere si velit, quod dedit homini optimum in tantu vita pénis, nec mortales aeternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere, ut, qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nullumq; habere in præteritus, praterquam oblivionis, atq; (ut facetus quoque argumentus societas hæc cum Deo copuletur) ut bis dena viginti non sint; ac multa similiter efficere non posse.* Hæc audacter Plinius.

21. Quicquid autem sit de aliquibus, quæ negat Deum posse, id verissimum est, mortem sibi ipsi, si velit, non posse consciscere, nam hoc non aetivæ esset, sed passivæ omnino potentiae, quæ Deo sine magnâ impietatis notâ non attribuitur: neq; præterea facere, ut, qui vixit, non vixerit, honores gessit, non gesserit, & denique bis dena ut viginti non sint: Facile enim videre quivis potest esse hæc apertissima contradictionia: Unde quid aut quomodo de talibus judicandum sit, ne crambem alibi coetam etiam hic cogamus apponere, ex supra propositis volumus repetitum.

22. In eo certè Plinius imperitè, & ob imperitiam impie de Deo censet, quod & hæc pugnare autem, si Deus immorta-

mortalitate donet mortales, aut in vitam revocet defunctos.
Qui enim causa & origo omnium est, & ex quo esse suum ha-
bent, quæcunque sunt, cur non idem ea, quæ amplius non sunt,
revocare, & eorum, quæ adhuc sunt, existentiam sine ullo ter-
mino conservare queat.

23. Quomodo sine contradictione fieri possit ut Christus, homo, sit localis sive in uno loco, & tamen quando-
cunque voluerit, in pluribus, id huius loci non est, sed contra
Calvinianos non tam Philosophis incumbit, quam Theologis
ostendere, ijs ergo volumus relictum.

24. Unicum adhuc, antequam hinc abeamus, notandum
est; scilicet determinationem hanc, quâ assertum fuit, omnipot-
tantiam respicere possibile absolute sumtum explicandam esse,
& intelligendam de possibili, ut non tantum opponitur *im-
possibili*, sed & *necessario*, quomodo dicuntur possibilia quæ pos-
sunt esse & non esse. Quæ observatio Scotti est *distant.* 42. &
ex eo Johannis de Rhadâ *part. 2. controvers. 2. 4. 4. not. 1.* camque
ob insignem, quem habet usum, putavimus adjiciendam.

25. Pergimus nunc ad alteram Dei potentiam, *ordina-
tam* scilicet, non quod potentia Dei sit multiplex, una enim tan-
tum in se est, quemadmodum ipse unus est, *Scal. Exercit. ult. sect. 8.*
sed quod aliter, atq; aliter possit considerari.

26. Dicitur autem potentia Dei ordinata, quæ est *or-
dinata ad aliquod attributum ejus*, vel justitiam, vel clementiam, vel
misericordiam, vel bonitatem &c. cum contra absoluta poten-
tia ad nullum horum sit astricta, possitque Deus aliquid de hac,
quod de illa non potest, v. g. de potentia absoluta Deus posset
omnes, qui sunt in Paradyso, in inferno ponere, & de inferno
omnes, qui ibi sunt, in Paradysum ducere, sed considerato ordi-
ne suæ justitiae, qui appareat, hoc non potest; itidem de absoluta
potentia posset homini contrito veniam denegare, sed considerato
suâ misericordia hoc non potest. Et sic de alijs, vid. Armand.
de Bello-uisu *tract. 2. 6. 9.* Atque haec tenus de potentia Dei tam
absoluta, quam ordinata, activa tamen, & infinita.

27. Reliquæ potentiae *finitæ* quæ in aliis rebus, cum acti-
væ, tum passivæ inveniuntur, ita distinguntur, ut aliæ *naturales*
dicantur,

1001 pag. 4.

Citantur, alia obedientiales, Fons. lib. 9. Met. c. 2. q. 4. s. i. Syaretz
disp. 43. s. 4. Mendoza disp. phys. 9. alij.

28. Armand. tract. 2. c. 12. ut & alii doctissimi viri existimant prædictam divisionem nō esse Potentia in suā latitudine, sed tantum determinati generis, nimirum potentia passiva. Verum dari etiam potentias naturales & obedientiales activas firmiter credimus, quin imo non paucas hujus generis, quando ita placuerit, levi nos negotio promittimus allatueros.

29. Notandum autem potentiam posse naturalem appellari varijs modis, 1. enim naturalis potentia potest dici, quæ insita est, & congenita naturæ, & sic opponitur acquisitæ, & extrinsecus accedenti, vel artificiali. 2. Sumitur pro irrationali, uti opponitur liberæ. 3. Pro ea, quæ est naturalis ordinis, neque excedit cursum naturæ, & opponitur supernaturali

30. Nos de tertia & ultima acceptance sumus solliciti; Estque eo sensu potentia naturalis quæ viribus naturæ cum generali Dei concursu perducit potest ad actum, Fons. 9. Met. c. 1. q. 4. §. 1. & seqq. Potentia obedientialis, sive supernaturalis, quâ res queque creata obedit Deo veluti ad nutram, & apta est ad actum, ad quem, non nisi potentia Dei extraordinaria & voluntate miraculosa supra suam natu-ram, perducit potest.

31. Authores communiter duplicem faciunt potentiam obedientialem; alteram dicunt quâ res aptæ natæ sunt subjici potentia divinæ, alteram verò quâ aptæ natæ sunt subjici artifici.

32. Hisce nos nostrum calculum adjungere non possumus. Licet enim non negemus, si termini paulò aliter sumantur, nempe vox: *naturale*: strictius: *obedientiale*: latius: *artefacta* sub hac, non illâ contineri, ideoquæ obedientialem ita subdividi posse. Tamen secundum nostram acceptancem, quæ meritò his præfertur, alterum membrum subdividens, nempe *artefactorum* potentia, sub opposito membro divisionis, scilicet potentia naturali, continetur, & ita latius patet suo diviso. Potentia enim artificialium naturæ viribus cum generali Dei concursu ad actum potest produci, & per consequens naturalis est. Ita hanc rem disputant, primorum glaciei perruptorum vestigia qui colligunt.

33. Ut tandem doctrinam de potentia claudamus,
B ultimo

ultimo proponimus distinctionem, quam suppeditat Arist. l. 9.
Met. c. 2. 1. Eth. c. 13. lib. de interpret. c. 13. §. 20. quaque potentiam
aliam *rationalem*, aliam *irrationalem*; sive aliam *naturaliter*, aliam
vero *libere agentem* statuit.

34. Hic recolendum est ex ib. 29. naturale aliquid dici di-
versimodè; Et sicuti ibi tum tertiam ejus acceptiōē delige-
bamus, ita nunc instituto nostro acommoda secunda est, qua
pro irrationali stat, & libero opponitur.

35. Sciendum item est, tribus potissimum modis dici
aliquid posse liberum. 1. ita vocatur *quodcumq; subjectum al-
tum alteri non est*. 2. *quisquid non est violentum*. 3. *quisquid simpliciter
agit in utrumq; oppositum*. Prima vocabuli significatio liberum di-
cit aliquid à servitute, secunda à coactione, tertia à necessitate.
Occara. i. sent. dist. 10. quæst. 6. Ultima libertatis acceptio huius
loci est.

36. His præsuppositis, potentiam *naturalem* sive natu-
raliter agentem dicimus, quæ ad unum oppositorum est accommo-
data. Rationalem verò sive liberam quæ se habet indifferenter ad
oppositorum utrumque.

37. Pro definitionum nostrarum intelligentiā notan-
dum est 1. indifferentiā, seu libertatem ad opposita, consider-
ari posse dupliciter; vel enim potest res agere simpliciter, &
non agere; vel potest agere hoc, & agere illud: Prior appellat-
tur libertas *contradictionis*, seu libertas, quæ est in exercitio
ipsius actus; posterior libertas *contrarietatis* seu quæ speciem, seu
specificationem actus concernit: Quemadmodum præter Hor-
neium apud alios etiam hæc ita reperire licuit. 2. Notandum ex
Fons. 9. Met. sett. 3. nomine indifferentiæ ad plura non esse intel-
ligendam indeterminationē respectu diversorum objectorum,
neq; etiā diversorum temporum; etenim res rationis expertes
essent quoq; hoc modo nonnunquā indeterminatae, veluti calor
ad indurandum lutum & liquefaciendam ceram, & ad contra-
rios calores in rem eandem diversis temporibus producendos.

38. Quando igitur dicimus, potentiam naturalem esse
indifferentem ad utrumque oppositorum, sensus est, quod in-
differens sit indifferentiā & contradictionis & contrarietatis,
possitq; non tantum in contraria objecta ferri, sed & contrarios
actus circa idem numero objectum exercere. Irrationalis autem
tantum

tantummodo est unius oppositorum, h. e. ita determinata, ut
positis ad agendum requiritis, ijsq; non impetidis, & eodem in-
super modo sese habentibus non possit non agere, vel ita possit
unum, ut tamen non possit etiam alterum.

39. Dico : ponit debere omnia requisita , eaque non im-
pedita, & eodem præterea modo sese habentia : Quod si enim
requisitorum aliquo absente non agit, uti rectissime docet Hor-
nei, lsb. 2, dñsq. Met. memb. 4. n. 2. sit illud ideo, non quod potentia
illa alias possit agere, & non agere , sed quod vel impediatur,
vel conditio sub qua agit, desideretur. Quod si vero ob-
jectum semper se uno eodemq; modo non habet, potentia irra-
tionalis recte vocabitur indifferens, sicuti idem ex antea dictis
non difficulter est colligere. Sic sol præsente luto necessariò
indurat, nec in ejus potestate est non indurare. Quod autem
possit liquefacere ceram, propter diversitatem objectorum est,
qua eodem modo sese non habent quemadmodum tamen ha-
bere debebant.

40. Causam cur potentia naturalis ad unum solum ex-
tendatur, assignamus hanc, quod natura aliquid uniforme sit
ratio autem plura subeat: quæ igitur naturaliter agunt, dici-
mus ad vnum tantum extendi, quæ vero rationaliter, indiffe-
renter sese habere ad multa.

41. Solent interpres Metaphysici sub hac potentia divi-
sione totam insuper doctrinam de libertate proponere. Tantæ
rei quia pagellæ nostræ vix sufficient, etiam si quidem neminem
ob id fugillatum volumus, imitari tamen non possumus, quando-
quidem ordinis insuper ratio videtur exigere, ut disputationis
partem priorem jam tandem concludamus. Tantum ergo de
potentia.

42. Progredimur ad ACTUM: sed brevibus, sicuti promisi-
mus, de eo visuri. Initio a. supponimus tanquam evidens, & ex
ipsorum terminorum notitiâ manifestum, unicuique potentia
respondere actu aliquem: Nam ne concipi quidem potentia sine
relatione aliqua ad actum potest ; Et quidem passimæ semper
respondeat actus aliquis formalis actuans & perficiens eam; acti-
væ vero non talis, sed actus quidam ab ea emanans.

43. Circumfertur h. m. distinctio Actus in *primum* & *se-
cundum*, quam habet Arist. 2. de anim. c 1. quamvis , quid per
actumque ab ipso intelligatur dubium sit.

44. Nou-

44. Nonnulli, secuti Averroem, existimant non esse hanc distinctionem in duas res, nec actum primum & secundum differre inter se nisi modo quodam: ita sentiunt Piccardus & Scherbius, magni illi, & acutissimi olim Altorphinæ Academæ Philosophi, à quibus nec Cobius more sibi consueto recedit. Secundum hos actus secundus est ipse primus, sed exiens & ostendens se.

45. Nos cum alijs malum statuere esse nominatam distinctionem in diversas res, ita ut actus primus non alias sit, quam qui formalis alias appellatur, & unde aliqua operatio prodat; secundus vero ipsa operatio.

46. Unde non potest non constare, actum primum opponi a nobis potentia passiva; secundum vero activa, & ratio quare ita fiat, manifesta est: Est enim actus primus ipsa forma, quæ informari prius, actuari, diversaque præterea conditiones recipere opus habet, antequam ad perfectionem aliquam pervenire possit, v. g. scientia. Hunc comitatur postmodum actus secundus, ipsa nimurum ab hac acquisita perfectione emanans operatio, contemplatio scilicet; Hac ratione actum primum recte opponi potentia passiva, secundum vero activa, perspicuum est.

47. Unde & id quoque elicetur, quod supra a nobis assertum fuit, divisionem hanc res diversas concernere; cum enim scientia sit velut actus primus, contemplatio velut actus secundus, contemplatio item non sit forma, sive ipsa scientia, ut est in contemplatione, sed operatio ab ea distincta, qui quæso hæc duo non erunt non diversa?

48. Scotus præter hos duos actus tertijs adhuc mentionem facit, quem entitativum vocat: opponitnr ille potentia objectiva, & nisi velimus ipsam existentiam, seu actum existentia, ut a Philosophis appellatur, negare, illum quoque negare necesse habemus. Quemadmodum enim potentia activa est non repugnantia terminorū, & esse in eâ, non quidē est existere, posse tamen existere; ita quicquid jam existit, eo ipso, quo existit, dicitur habere actum entitativum.

49. Hinc ille nihil aliud est, quam vera rei positio extra nihil, uti Vicomercatus eum describit i. de principiis c. 12. Competitq; omnibus omnino rebus, quæ actu dicuntur esse in rerum naturâ, ipsi etiam materiae primæ. Sed de hac re in cursu disputatio-
nis plura.

50. Reliquæ actus divisiones, quæ aliâs afferri adhuc
solent, aut certe multâ ex parte ad eâ, quam ipsi nos attulimus,
referuntur, aut per se etiam facile cuivis possunt innotescere,
ut supervacaneum autumaverim peculiariter quoque de ijs
differere. Hæc itaque pro instituti & ingenij ratione de poten-
tia & actu dixisse sufficiat.

Ad supplendum spatiū aliâs vacuum Dn. Præses se-
quentia subjungi voluit examinanda:

I.

Qui statuit *Privationes formaliter esse entia realia*, ille
neutiquam eo ipso afferit, peccatum esse Ens reale pos-
titum, & consequenter à Deo. Qui verò concludit: *O. Ens
esse à Deo: Peccatum esse Ens E. peccatum esse à Deo: Ille*
pueriliter ludit, & semper vel in forma vel in materia
labat. Subsumo: *Chimæra est Ens: peccatum originis est Ens.*
Illud rationis, hoc reale, ut opponitur priori. *E. utrumq.
est à Deo. Hoc non fictè impium, illud absurdum. Si dicit:
Aliquod Ens reale: Materiam præmissarum concedo.*
Sed nego formam. Si ait: *Omne Ens reale positivum:*
Concedo formam & majorem. Sed quis non negaret
Minorem?

II.

Si cui objicitur talis syllogismus: *Ex quacunq; opinione
sequitur, duas contradictorias esse simul veras & simul falsas: illa
est absurdissima. At qui ex vestra opinione sequitur, duas contra-
dictorias esse simul veras & simul falsas v.g. Petrus & Buce-
phalus est animal rationale.. Petrus & Bucephalus non
est animal rationale.. Sunt duæ contradictoriæ. Et
tamen utræq; simul veræ, utræq; simul falsæ sunt, ut
petenti mōstrabitur. E. illa opinio ex quâ hoc sequitur est ab-
surdissima. Qui ad hæc respondet: Non esse absurdum, duas
contradictorias esse simul falsas, ille non loquitur de contra-
dictoriis, vel in singulari, vel in purali, sed solum de ve-
ris & propriè dictis contradictoriis, fundatis semper &*

ubiq; in omni materia, numero, casu, tempore, modo,
&c. in primis illis omnium, & lumine naturæ, ex terminis solis, claris principijs: *Impossibile est idem esse, & non esse.* Aristotel. 4. Met. 3. Et: *Quodlibet est, vel non est.* Et propterea, sive dicat: *Possibile esse duas contradictorias esse simul veras;* sive afferat: *possibile (aut quod idem est, non esse absurdum) duas contradictorias esse simul falsas.* Utrovis modo prima illa principia negat, & ex consilio Mendozæ, omnium omnino saniorum suffragio approbato, non amplius rationibus, sed fustibus est erudiendus. Et si conqueratur, se percuti: *quodlibet esse vel non esse:* respondeto. Atq; ita, dum ille percutiat, eum tamen non percuti; quia in eius sententia idem esse & non esse possit. Si potest res simul esse & nō esse. E. simul sunt res & ejus privatio: E. homo moritur & vivit; E. simul generatur & non generatur: Et nos dum hic sumus, non sumus hic, & disputatio hæc antequam scriberetur, jam erat scripta, & vos dum eam ventilari auditis, non auditis. Et quando ignorantiae fratres aliquid ignorant, sciunt. Et quando præcedente nocte dormivimus, vigilavimus; Et dum jam vigilamus, dormimus, & dum nos loquimur, tacemus: & quando vos tacetis, loquimini: & dum otiamur, laboramus, & dum laboramus, otiamur, & dum aliquis mētitur, & calumniatur, non mentitur & calumniatur; quando aliquis proximum injuriā deterrimā afficit, non afficit. Et præterea, quisq; alteri venenum vel Alexipharmacum potest propinare, jus suum alteri dare & negare, pius potest esse, & nō pius. Sed tamē pulchro isto promalis principio nihil obstante, à Magistratu pro debito jure punietur, & nisi seriam & verā agat pænitentiam, eterinaliter ad Orci Mephitim codēnabitur. *Amen! Amen!* & autē plane, frustra & ridiculus est, qui ex absurditatib^o hisce omni-

Omnibus, exemplo hoc vel illo, sive in plurali, sive in singulari stante, se nititur extricare. *Dñs Heinr vñ Lung
können es sehen vnd führen wo das Pferd vernagelt ist.*

III.

In hoc syllogismo: *O. Apostoli sunt vocati; Petrus & Paulus* (vel quod idē est secundum novā formam, *Herodes*) *sunt Apostoli E. Petrus & Paulus* (*Herodes*) *sunt vocati*: plures quā tres termini sunt, si rē secundū *et cetera*. *Bona* Logicam velimus determinare, & non velex Rhetorū scholis, aut Poëtarum memoribus satagamus iudicare.

IV.

Nullas verò suppetias, sed stultissimi & circulum in probationibus suis pueriliter admittentis phantasmata esse putamus, si dicatur: *esse tantum tres terminos*: quia formaliter bonus. Hoc enim ipsum debebat probari.

V.

Sed hunc: *Quicunq; non dicit verum, mentitur. Afferentes, obgannientem graculo esse loquaciorem, non dicunt verum. E. Afferentes obgannientem graculo esse loquaciorem, mentiuntur.* Non tantū pro materialiter sed & pro formaliter bono posse tolerari asseveramus, *quaten⁹ in simili forma, ex præmissis veris nunquā dari potest conclusio falsa*. Quod indē usq; ab infinitis retro seculis ὅμοιόχως & ὁμοφίφως hactenus omnib⁹ præcellentissimis Philosophis & Logicis οὐκεῖν τυδεγνωμονικό fuit & est, syllogismi formaliter boni.

VI.

Qui vero operose obtinet, *congenitū dici posse naturale*: ille idem facit, quod Miltiade stultior, qui nemine contradicente demonstrare in Mathesi omnibus nervis annitebatur: *Sole super nostro hæmisphærio elevato, diem esse*; aut in Arithmeticis: *unitatem non esse multitudinem*.

VII.

Tandem illum, qui serio statuit: *Eum, qui afferit: Generationes superna-*

supernaturales, quarum prima per potentiam Dei facta fuit ab σ q₃ maro & fœmina, secunda ab σ q₃ fœmina, interveniente mare, tertia ab σ q₃ mare, concurrente fœmina, quoad requisita omni generationi necessaria & quidditativa, participare nomen generationū univocē, & ex & quo cum generatione quarta, que quotidie fit ex mare & fœmina: (prout recessent hos generationis modos Autor. sermon. ad fratres in Eremo. D. Anshelmus l.2. Cū Deus homo, Alenfis 3. p. quest. 8. membr. 1. Bonaventura & Richardus init. lib. 3 sentent. & alij quam plures) Eum, inquam, simul concedere necesse habete, generationem creationem esse proprie dictam, nempe productionem alicujus *ex nihilo*, Gen. 1. 1. illum vix micam iudicij habere putamus. Quemadmodum pariter etiam illum, qui posito, sed non concesso, creationem proprie dictam, esse proprie dictam generationem, necessariō sequi putat, Sp. S. esse propriē dictum Filii patrē. Conclusio à positione quidditativorū ad positionem connotatorum, h. e. generis ad speciei, animalis ad hominis. Ob quam inconsequentiam pueri in trivialibns patiuntur colaphos.

VIII.

Asseverare vellemus porrō: 1. Dei potentiam dici posse rationalem, non tamen discursivam: Et 2. importunitatem imperitam esse nonnullorum, qui concedere nostunt, ut in alijs creaturis omnibus datu*s* potentia obediendi Deo ad supernaturales actus, ita in hominē dari ex se potentiam ad gratiam & gloriam. Sed quia quod vacabat, est completum, seruum hīc imponimus.


Soli Deo Laus, Honor & Gloria.

EPIGRAMMA

Ad præstantissimum & litteratissimum

DR. RESPONDENTEM,
a præside festinanter datum:

DRingenbergiade! Musarum nobile germene!
Helmstadi rediens, quæ bona quæsò refers?
Hec: Limata modò, Juvenis, producis in auras.
O pariter faciat vir quoq₃, & omnis homo!





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn72946279X/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72946279X/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn72946279X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72946279X/phys_0020)

DFG

Omnibus, exemplo hoc vel illo, si
singulari stante, se nititur extricare.
Sunt enim es se h̄en vnd fǖhlen wo das Pſe

III.

In hoc syllogismo: O. Apostoli, P. Paulus (vel quod idē est secundum I. Petrus & P. Paulus) sunt Apostoli E. Petrus & P. Paulus. cati: plures quā tres termini sunt, si Logicam velimus determinare, & nō scholis, aut Poëtarum memoribus sa-

IV.

Nullas verò suppetias, sed stultis probationibus suis pueriliter admittit esse putamus, si dicatur: esse tantum trā maliter bonus. Hoc enim ipsum debet

V.

Sed hunc: Quicunq; non dicit verum obgannientem graculo esse loquaciorem, Afferentes obgannientem graculo esse loquacius. Non tantū pro materialiter sed & pr̄ posse tolerari asseveramus, quatenq; in missis veris nunquā dari potest conclusio facta ab infinitis retro seculis οὐούχως & omnib; præcellentissimis Philosophis οὐούχως & fuit & est, syllogismi facta.

VI.

Qui vero operose obtinet, congenitū idem facit, quod Miltiade stultior, qui non demonstrare in Mathesi omnibus nervis a nostro hemisphario elevato, diem esse: aut in aliis non esse multitudinem.

VII.

Tandem illum, qui serio statuit: Eum,

sive in
a Rung
ist.

etruse&
m, He-
sunt vo-
ze, Beus
heterū
dicare.

Ium in
asmata
ua for-

terentes,
rum. E.
riuntur.
r bono
ex pra-
dē usq;
ctenus
s orueio
ni.

ale: ille
dicente
ole super
vitatatem

rationes
superma-

